DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VACCINA.

8

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE VACCINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES EYRE,

ANGLUS:

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1806.

INDULGENTISSIMO SUO AMICO,

FRANCISCO HORNER ARMIGERO;

HÆC PAUCA MANDAT,

ET SALUTEM DICIT,

JOHANNES EYRE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VACCINA.

HISTORIA.

QUI variolam, per tot sæcula gravissimè sævientem, tollere ausi fuerant, omnes frustrà laboraverant, donec tandem nostris temporibus EDVARDUS JENNER, clarus medicus, methodum quâ diris ejus vastationibus optimè occurreretur in medium protulit *.

A Doctor

* Vide DIMSDALE, "Thoughts on General and Partial Inoculation." Vide etiam PRICE "On Reverfionary Payments."

Dr JENNER, tum in comitatu Glocestriensi vitam agens, in hoc et vicinis comitatibus morbum papillas vaccarum ulceribus pustulosis obsidentem villicis innotuisse notavit; ex his mulgentium manus infici solebant; et opinio apud plebeculam admodum invaluit, homines hoc malum semel passos, exinde e variolâ immunes semper evadere.

Primus Dr JENNER, ut credo, hujus latissimè patentes effectus mox profluxuros ad extremum penitùs perspexit, et quò certiùs hos statueret multa illicò experimenta de industriâ statuere decrevit. Anno 1798, mense Junii, horum felices exitus in lucem edidit; et, in paginis nitidis, vaccinam morbum mitissimum, quique in locum variolæ pertimescendæ certissimè commodissimè substitui posset, hominibus oblatam attulit.

Quanti æstimandum est donum, et quem potissimùm beneficii auctorem grato animo persequeremur, nunc omnes uno ferè ore conclamant.

clamant. Anne fuit idem primus qui hunc morbum ad animal humanum insitione consultò transtulit, hodie nil refert, aut refert tantùm ad rerum rararum studium. Hoc enim, utcunque fuerit, ex eo honoris genere quem præsertim Dr JENNER jure sibi vindicet, nequidquam deroget; nempè, ille certè primus fuit, qui doctrinâ probè imbutus animos hominum ad beneficia ex hoc fonte derivanda revocavit; et nemo sanè, nisi liberalis et doctus, fidem de tantâ re obtinuisset, vel solùm rectâ viâ quæsivisset. Tali opus fuit ut genus humanum jam anteà vix, siquidem, inventis, nunc vulgatis etiam et intellectis fruatur.

Doctorem JENNER huic multò priùs incubuisse quàm librum ejus evulgavit, hæc a D. EVERARDO HOME memorata planè ostendunt; affirmat enim Doctorem JENNER, anno 1788, Domino JOANNI HUNTER pustulæ vaccinæ adumbrationem exhibuisse, et ejus inoculatione variolam præcavere proposuisse. Dominus

minus HUNTER autem de re tam novâ decernere non ausus est; tamen suasit Doctorem JENNER ad hanc indagationem ulteriùs prosequendam *.

Nescio quantùm contrà valeat auctoritas chartarum manuscriptarum, quæ Curatoribus Senatoriis hujus rei indagationi commissis, tradita fuerunt instrumenta. Hæc intra annos 1781 et 1788 a quodam Dom. NASH, Shaftsburiæ chirurgiam exercente, scripta fuisse produntur. Si hisce fragmentis (nullum enim aliud nomen mereantur) fidem adhibere liceat, ex iis apparebit, virtutes vaccinæ suprà memoratas neque Dom. NASH neque plures alios latuisse.

Nulla sunt satis valida argumenta quæ Dom. NASH morbum vel semel inseruisse probant. Ex sequentibus autem colligimus, eùm nonnihil de libro emittendo somniare solere:

"My

---

* Vide "Report of Evidence before the Hon. the Committee of the House of Commons."

"My intention in publishing, is to recom-"mend to the world, a method of inocula-"tion, far superior, in my opinion (and I "judge from experience) to any yet made "known *." Utrùm Dom. NASH hæc pauca et indigesta longiùs prosequeretur, admodum in dubio sistit, et minimè constat hæc fuisse scripta antequam Dr JENNER hujus rei indagationem iniîsset.

Brevi postquam JENNER primum librum vulgaverat, Dr PEARSON, omnium vaccinalium scrutator indefessus, morbum nostrum et virtutes ejus quibus contra variolam pollet, in iis Angliæ regionibus ubi abundant lactaria benè innotuisse, clarè comperit. Famam de viribus ejus per comitatum Oxonii, et præsertim apud militiam Oxoniensem, exiisse, Dre WALL testante, et testibus militibus, comprobavit. Epistola reverendi viri Dom. HERMAN DREWE,

* Vide "Examination of the Report of the Committee of the House of Commons by GEORGE PEARSON, M. D. F. R. S.," p. 24.

Drewe, hunc morbum in Somersetiâ, Dorsetiâ et Devoniâ, notum fuisse ostendit. Dr Salis, et Rev[dus] Dom. Smith, de eâ in Buckingamiâ mentionem fecerunt. Dr Pearson ipse eam in Middlesexiâ deprehendit. Jenner anteà eam in Glocestriæ Valle, et, si memoria me non fefellit, in Wiltoniâ observavit. Literæ ad D[rem] Pearson missæ, in Norfolciâ et Suffolciâ degentes hujus mali nequaquam inscios fuisse, eum certiorem fecerunt: ex quo tempore eam in Staffordiâ, Leicestriâ, Hantoniâ et Lincolniâ compertam habemus *.

Dr Barry vaccinam in septentrionali Hiberniæ parte, sub inculto nomine *shinach* detexit.

Peregrè D[res] Ballhorn et Stromeyer hunc morbum in Holsatiâ observârunt; Dr Sacco

* Vide "Dr Pearson's Inquiry:" "Dr Pearson's Examination." Vide etiam D[ris] Macdonald "Familiar Observations," Hamburgiæ editas.

Sacco in Mediolano; neque in Americâ incognitus erat, ut ex tractatu D[ris] Coxe Philadelphiensis apparet.

Ex illis terræ partibus in quibus visus est hic morbus, in compluribus opinionem quoque eum variolæ supersedere valdè receptam fuisse, jam monui; et ad hanc sententiam quosdam medicos sese ascribere, varii auctores nos commonent. Dom. Fewster, cum claro Dom. Sutton in variolæ inoculatione exercitatissimo consociatus, D[rem] Pearson literis certiorem fecit, se vere anni 1768 hujus rei notitiam adeptum fuisse, et societati medicæ cuidam, cujus fuit socius, communicavisse. In epistolâ Dom. Rolt, tertio Id. Junii 1795 datâ, et eodem anno a D[re] Beddoes editâ inter quædam, quibus nomen "Queries on "Inoculation," ad ejus Gimbernati Anglicè redditum adjecta, Dom. Rolt vaccinam proclivitatem omnem ad variolam suscipiendam abolere, se comperisse profitetur.

Et

Et sanè multa, undique collata, docent effectus hujus morbi, ex uberibus vaccæ fortuitò derivati, sæpè agnitos et forsan nonnunquam scriptis etiam traditos fuisse, ab illis qui notitiam a Dre JENNER minimè acceperant aut accipere potuissent *.

Quinetiam Doctorem JENNER non omnibus inoculando idcirco anteivisse, utpote cùm inter primos ad hoc se contulisset, demùm constare videtur. Audi ipsos Senatores referentes: "It "seems not improbable, that in some very rare "instances this knowledge was carried one "step farther, and that the cow-pox was "communicated either by handling the teat, "or by inoculation from the animal, for the "purpose and with the intention of securing "against the danger of small-pox †."

Ego ipse adfui in ædificio ad vaccinam promovendam instituto Londini, in plateâ *Broad-street*

---

* Vide ADAM's "On Morbid Poisons." Vide etiam WOODVILLE "On Inoculation," 1795.

† Report.

street dictâ, cùm villicus æt. 70, cui nomen Jesty, se uxorem et duos liberos triginta et unum abhinc annos, quod incidit in A. D. 1774, inoculâsse ampla documenta protulit. Inoculatio, ex narratione ejus, modo satis rudi peracta est, parte acu majore priùs abrasâ, et viro subindè ei admoto. Hæc autem eo consilio planè instituta fuêre, ut corpus haud ampliùs in variolam opportunum restaret *. Jesty etsi parùm cultus, homo certè est judicio satis acri præditus, sed non is est, qui ab ornato et benevolo philosopho aliquantulum honoris auferat.

Clarus Doctor Jenner, qui hæc promulgavit, vaccinam pristinis viribus adhuc pollentem ex uno humano corpore ad alterum transferri, ideòque per longam seriem sine injuriâ vehi posse, quantùm mihi constat, ipse primus de periculis comperisse videtur. Quamvis

* Vide "Edinburgh Medical and Surgical Journal," No. iii.

vis enim Dr Barry, Corcagiensis, in epistolâ ejus exemplum narrat cujusdam horticultoris, qui deditâ operâ homini vaccinâ laboranti semet affricavit, quò morbum susciperet; hæc tamen exempla a Doctore Barry, in limine historiæ vaccinæ prolata, auctoritate parùm firmâ nituntur, incolarum nempè; et tam inconditè traduntur, ut Ring et alii plures, an horum quædam vaccina habenda sunt, necne, multùm hærent; et sanè quibusdam minimè mirum videbitur, si nonnulla in istâ regione verbis solummodò tradita parùm accuratè enarrata fuêre. At benè meritus est in exquirendo Barry, tamen ore traditis Corragiæ haud facilem adhibemus fidem. Esto tamen, et quò tendit solitarius hic unus et incertus transmissionis gradus? Certè horticultor ille de temporibus nostri Jenner non diripiet lauream.

SIGNA

SIGNA IN VACCIS.

Variis anni temporibus, præcipuè autem vere, vaccæ in fundis lacteis morbo fœdo infestantur. Pustulæ figurâ irregulares, circa margines paululùm elevatæ, et in centro subsidentes, vaccarum papillas occupant; hæ partes vicinas depascentes, et in crustas mutatæ, usque ad solidi Anglicani magnitudinem augentur. Color earum, testante Jenner, pallidè cœruleus est, ad lividum vergens. Intervalla inter maculas, dura, rubra, et tumida apparent; intumescentia eoùsque nonnunquam sævire dicitur, ut ductum papillæ penitùs occludat, et eum instrumento immisso aperire necesse est; hoc consilio acus obtusior vulgò usurpatur. Animal nunc ægrotare incipit, et lactis secretio imminuta est *. Hæc ferè sunt mali indicia, priusquam attentionem sibi vindicat. Dr Sacco, qui morbum apud Mediolanum

* Jenner, p. 4.

Mediolanum detexit, ad gradum ejus priorem advertit, quo nil præter maculam rubram conspicitur; pustulam verò provectiorem colore leviter rubere, et in mediâ parte maculam fuscam magis depressam ostendere, perhibet *.

Dr Jenner monet, has pustulas neglectas in ulcera phagedænica sæpè abire, ex quo virus suam contra variolam vim amittit. Hujusmodi ulceribus sulphate zinci vel sulphate cupri optimè medetur. Brevi postquàm hic morbus in agro quovis grassatus est, mulgentium manus ulceribus, quæ speciem haud absimilem induunt, deturpantur.

Pustulæ diversi generis e variis causis vaccarum ubera adoriri solent. Tempore verno, cùm

* "Philosophical Magazine," No 46, p. 184, atque Dris Sacco, "Practical Observations on the Use of the Cow-pox."

cùm vaccæ, tenera gramina carpentes, diverso pabulo uti incipiunt, vel cùm venales prostant, et venditores eas rariùs emulgent quò ubera ampliora apparent, pestifero malo, tabum effundenti, obnoxiæ fiunt *. Hoc virus, quippe quod in vaccis observatum, eandem, ac vaccina, originem agnoscit, iisdem autem dotibus nequaquam est præditum; morbus igitur qui hinc exoritur, Vaccinæ spuriæ (ut dicitur) accuratè nomen teneat, quod inaptè cæteris vaccinæ falsis speciebus impositum fuit; alia enim vitia quæ hujus mali nomen sibi adepta sunt, vel generis omninò diversi vaccinam nihil referunt, vel vaccina *irregularis* potiùs quàm *spuria*, habenda sunt. Supradicta falsa a vera vaccina sequentibus signis secerni queat:

1*mò*, Nullâ totius corporis ægrotatione comitatur.

2*dò*,

---

* Ex muscarum morsubus oritur alius sed levior morbus. Consulas HENRICI JENNER, Chirurgi, "Address to the Public," &c. p. 14.

2*dò*, Localia mitiora nec adeò mordacia sunt, citiùsque decedunt.

3*tiò*, Pustulæ colore cœruleo, quo vaccina insignitur, destituuntur, et liquorem magis puriformem continent.

DE ORIGINE VIRI.

De origine hujus morbi acriter disputatum est. Dr Jenner opinatur, hasce pustulas vaccarum ubera obsidentes, deberi viro, quod de morbo (*grease*) in calce equi ad eas defertur, hominibus qui eodem tempore et equis et vaccis famulantur. Nonnulli hanc opinionem fundamento parùm valido inniti habuerunt. Dr Woodville, et alii Londinenses haud parvi nominis, eam penitùs evertere conati sunt; et Dr Barry affirmat, hanc solam esse sententiam meris conjecturis suffultam, quam Dr Jenner amplexus est. Argumenta

quæ

quæ contra JENNER allata fuêre, ad duo genera referri possunt.

1*mò*, Multa pericula Doctore WOODVILLE, et Dom. COLEMAN artis veterinarii professore, iterata fuisse; atqui vaccinam ex hoc fonte vaccæ impertire frustrà aggressi sunt.

2*dò*, Vaccinam in iis regionibus semet ostendere, in quibus nullum commercium inter equos et vaccas intercedebat, ut in Hiberniâ et Scotiâ evenit, ibi enim fœminæ solummodò in vaccis mulgendis occupantur *.

Dr BARRY in epistolâ ad Doctorem PEARSON missâ, hanc hujus mali originem in Hiberniâ minimè existimatam fuisse, neque ulla exempla unquam sese ei obtulisse in quibus vaccinam talem agnoscere causam verisimile fuit, affirmat. Et huc spectat quod Dom. RING

---

* Nescio an vaccina reverà in Scotia inter vaccas existit, tamen dixerunt illi.

RING se, Doctorem JENNER narrantem, audiisse tradit. "Two men who lived on a "nobleman's estate in Ireland, having been "compelled to milk the cows in the park, "were considered by their neighbours and "fellow servants as unfit for all society*." Tantâ labe notati fuêre, qui hanc artem fœmineam exercuerunt. Contrà, Dr MANNIN, in dissertatione suâ inaugurali anno 1802 editâ, ait, "Asserere possum, in diversis Hi-"berniæ partibus in quibus hic morbus ab "antiquissimis temporibus notus fuit, et ubi "maxima armenta in campis saginantur, quæ "solùm viri curant, equos sæpè ab agricolis "curari."—Asseveratio quidem satis obscura; sed ex contextu liquet, hosce agricolas, mares solos, vaccarum armenta et agere et mulgere solere; adversus opinionem BARRY tum scribebat.

Ex

* Vide Dom. RING "Treatise on the Cow-pox," p. 27.

Ex multis autem nunc dilucidè patet, vaccas in plurimis exemplis ex hoc fonte hunc morbum derivare, et eum in equis haud secùs ac in vaccis iisdem virtutibus pollere, etsi in equo signa quibus ab aliis malis dijudicatur, et tempus quo vires conservatrices maximè exercet, minùs innotescunt.

Experimenta Doctoris Loy hoc præprimis firmant. Ex ægro enim ei demandato, qui casu morbum ex equo contraxerat, vaccam inoculavit, et demùm e vacca vaccinam omnibus propriis signis, ad corpus humanum iterum transtulit.

Ex viro quoque calcibus equinis desumpto, morbum ad vaccam, et exinde ad corpus humanum transtulit; ex hoc fonte morbum latê propagavit, et eum e vaccinâ communi ne minimè differre, et æquè contra variolam valere, planè comprobavit *.

* Consule "Experiments on the Origin of the Cow-pox, by John G. Loy, M. D."

Dom. TANNER, *Rokehamptoniæ*, oppidi Glocestriensis, ex calce equi vaccam hoc morbo inoculavit *.

Dr SACCO literis ad Doctorem JENNER scriptis ei mandavit, se vim materiæ tabificæ contra variolam pollentis vaccinæ omninò similis ex equorum calcibus obtinuisse; et materiam ex equis paratam, homines ex variolâ incolumes præstare, sine ullo vaccæ interventu, se nunc persuasum habuisse.

Et sanè Dr JENNER ipse ad Doctorem WATERHOUSE, Novi Orbis, scribens, sic habet: "I have long been convinced that it (vaccina, "scilicet) is as perfect in all its extraordinary qualities, in its equine, as in its vaccine "state;—perfect on its first formation, and "imperfect when secreted at a late period of "the disease †." Hæc eò magis valere debet

* RING. p. 249, et "Medical Review. June 1800."

† Vide "Practical Observations by JOHN REDMAN COXE, M. D."

bet, quia sententiæ ejus in libro anteà traditæ repugnat; ibi enim duo censentur exempla, in quibus morbus ex equi calce fortuitò acceptus, omnem proclivitatem ad variolam suscipiendam delevit: aliud autem exemplum memorat, in quo spem fefellit. Neque tum temporis ratio ei revelata est. Si igitur memoriâ tenemus, tabum e vaccâ ipsâ certo morbi stadio derivatum, propriis virtutibus carere; et si aliquid ex analogiâ colligere liceat, nil erit cur a sententiâ Doctoris Jenner proximè memoratâ, utpote maximè verisimili, adsensionem cohibeamus.

Observandum est, quosdam veterinarios inter morbum communem *grease*, et nostrum quem strictiùs appellant *scratchy heel*, discrimen ponere; dum alii ullam inter hos differentiam reverà intercedere negant.

Omnibus autem quæ de hâc re tradita fuêre accuratè perpensis, et causâ equinâ sæpiùs admissâ, suspicarer tamen unam ambobus

etiam

etiam mali originem ex alio et communi fonte nonnunquam posse repeti.

In diversis enim terris in quibus hic morbus increbruit, nullus, inter eos qui equos curant et vaccas, congressus detectus est, ut ex historiâ vaccinæ in Americâ, Mediolano, et in Lombardiâ observatæ satis patet *.

Quidam quoque nexus inter hunc morbum et certum anni tempus, vernum nimirùm, intercedere videtur; et sæpiùs grassatur in vallibus, et in iis locis quæ luxuriâ viridantium maximè abundant. Ver frigidum et humidum, et equos et vaccas huic malo magis obnoxios reddit, ut JENNER affirmat.

Nec sanè facile est credere tot fortuitò unà convenientia, toties eodem tempore concurrere, ut hanc morbi rationem semper reddere valeamus; quod apparebit ex iis auctoribus

---

* Vide librum Dris Coxe, Philadelphiensis.

toribus qui amoris consuetudinem inter stabularium et lactariam fingunt, ut vir, amicæ inserviens, contagium ad vaccam perducat.

Si alio argumento opus fuerit, ex quo morbum *grease* dictum contra variolam valere constaret, ad observationem Doctoris JENNER de sententiâ latè receptâ, veterinarios nimirùm sæpè variolam effugere, imò recusare, currendum est; quam SUTTON, GROVE et FEWSTER, socii probè stabiliverunt.

SIGNA IN CORPORE HUMANO.

I. *De Vaccinâ casu ortâ.*

QUORUM, in calcibus equinis, vel vaccinarum uberibus ulceratis contrectandis, versantur manus, articuli et extremi digiti, uno alterove die elapso, pustulis inflammatis, molestis, corripiuntur; hæ, secundum JENNER, vesiculas adustione obortas referunt; et, si nil

nil eas de cursu solito deflectat, figuram circuli affectant, cujus repletis marginibus lympha tenuis colorem subcœruleum impertit *. Per bidui triduive spatium magnitudine adaugeri perstant, dein brevi glandulæ in axillis, absorptione factâ, intumescunt. Nunc languor, rigor, pulsus frequens, capitis dolor, atque alia pyrexiæ signa accedunt. Si æger manus ad labia, oculos manusve incautus admoverit, hæ quoque partes eodem vitio fœdantur. Ægritudo totius corporis citò plerumque dissipatur; manus autem ulceribus mali moris ægrè sanandis, nonnunquam diutiùs obsessæ manent.

Agricola dum equi calcem curabat, ex ejusdem villis in faciem ejus fluidum exilire percepit; post paucos dies, pustulæ magnæ, humore semipellucido plenæ, marginibus sublatis et centro depresso, circa manus, os, et mentum observatæ sunt †.

Vaccina

* Jenner, p. 4.

† Ex libro Dom. Ring, p. 16.

Vaccina fortuita, cùm gravioribus, quàm inoculata contingit signis, partim e superficie ampliore cui admovetur, partim e sensu artuum quos infestat magis acuto, et postremò ex irritatione perpetuâ cui objiciuntur. Neque absimile est quin vaccina in corpore humano quandam mutationem subeat, quâ mitior fit: huic opinioni experientia Doctoris Loy et aliorum, qui vaccinæ feliciter incubuerunt, suffragatur.

II. *De Vaccinâ insitivâ.*

Viro in puncturam aut incisionem factam de consulto imposito, tertio ferè morbi die macula exigua, rubra, duriuscula, nullo dolore, et, si ullo, levi tantùm pruritu stipata, in conspectum venit. Quinto die, maculæ magnitudo sensim augetur, atque punctum in medio a lanceolæ cuspide relictum, eminet, lymphâ quâdam impletum, et fit vesicula, inflammatione autem pro ratâ vixdum auctâ. Ante septimum diem, crusta subfusca vesiculam coronat,

coronat, et in medio infra margines ejus deprimitur, quæ fluido albido et pellucidulo distentæ circumsurgunt, nequaquam verò pure, ut suaderet nomen "pustula:" Hoc multò feliciùs dicitur Anglicè *Pock.*

Septimo perveniente die, pustula figuram et magnitudinem magis definitam, magisque propriam, induit; quæ, ex puncturâ, circuli, ex incisione vero, ovi ad formam accedit. Quò minùs basis pustulæ ante hunc diem rubet et durescit, eò magis veræ vaccinæ speciem præ se fert *.

Die octavo, vel saltem inter hunc et decimum, universum corpus mali fit particeps. Pars affecta, magis rubra, dura et tactûs impatientior fit. Efflorescentia circa marginem pustulæ colore vividiore insignitur, prout autem ab eâ recedit dilutiùs rubet. Novus hic circulus *areola* dicitur, quæ circa duos pollices lineam suam diametricam tendit. Æger nunc de

* Bryce "On the Cow-pox," p. 148.

de molestiæ sensu, et interdum de tumore glandularum axillæ, conqueritur; hocce etsi signum plerumque omninò deest. Eodem tempore, per unum alterumve diem, variæ corporis functiones leviter turbantur.

Die decimo, areola adhuc manifesta est, cum crustâ in centro ampliore et marginibus spissiore fluido elatis.

Die duodecimo, illa pars areolæ inter ambitum ejus exteriorem et interiorem comprehensa, pristinam cutis colorem recuperavit, duo dum annuli manent concentrici, duplicem areolam formantes *. Ambo annulos vidisse non semper mihi contigit; hoc certè tempore, areola evanescere incipit, et vesicula in crustam ex toto ferè abiit, quæ crassior, fuscior, magisque e cute levata, summam nunc magnitudinem adepta est.

* Sic Dom. G. Bell, in ejus "Treatise on the Cow-pox," p. 53.

Die decimo quinto, nulla inflammationis indicia conspiciuntur, et tota vesicula in crustam coloris punicei, lævem, politam, acino tamarindorum haud absimilem, convertitur.

Circa diem vicesimum, haud ita longum pòst, crusta decidit. Hæc crusta iis qui vaccinationi apud *Broad Street* præerant, vera anthrax vel carbunculus esse perhibetur, quæ parti inflammatione accensâ mortuæ tribuenda est *.

Sublatâ crustâ, manet per reliquam vitæ partem foveola satis alta. In nullo exemplo conflatur securitas, nisi talis cicatrix relicta fuerit; relinquatur autem ex aliis causis, et nos in errorem ducat †.

Vaccina nullâ eruptione comitata progreditur. Hæc est usitata series signorum quibus

* Vide "Report on the Cow-pock Inoculation during the years 1800, 1801 and 1802," p. 64.

† Vide "Report," &c. p. 29.

bus stipatur hic morbus, quæque omnia, jam dato ordine, nunquam variolam vel vaccinam ipsam anteà perpessos adoriuntur. In relatione cui suprà adverti, duo sequentia et experimenta quibus nituntur reperiuntur :

" *Prop.* x. Persons who have already gone " through the vaccina, are unsusceptible of it " a second time.

" *Prop.* xi. Persons who have undergone " the small-pox, cannot be infected with the " cow-pox *."

Quod ad hoc ultimum attinet, experimenta a Doctore Pearson narrata rem ultra dubium ponunt.

Dr Pearson ipse, et alii plures, qui anteà variolâ laboraverant, viro vaccinæ inoculati fuêre, in nullo autem exemplo regularem pustulam vel affectionem totius corporis morbidam

* Idem " Report," &c.

dam inferre potuerunt. Dr WOODVILLE, Doctorem PEARSON inoculavit *. Peritus Dominus BRANSON de *Devanâ* affirmat, se nunquam veram vaccinæ pustulam in iis induxisse qui variolam jam anteà experti fuerant †.

Haud me latet, quod et post vaccinam et variolam pustula e viro vaccinæ progigni potest, ex quâ fortunæ forte vera vaccina aliis impertiatur, ipsa autem (saltem in vaccinâ) irregularis est et citiùs ad finem properat ‡.

ABNORMIA QUÆDAM.

1*mò*, DECURSUS morbi genuini in nonnullis certo corporis habitu præditis, quàm in aliis, citiùs absolvitur, ut omnes ferè auctores testantur.

2*dò*,

* Vide "Philosophical Mag. Aug. 1799."

† RING, p. 514.

‡ Vide Dom. G. BELL, p. 66 et 68.

2dò, Areola interdum omninò deficit*.

3tiò, Signa totius corporis in mali consensum rapti, haud rarò prorsùs desunt, præsertim in infantibus.

4tò, Inflammatio erythematica in paucis exemplis ante diem undecimum suboritur, quæ latè super brachium diffunditur.

5tò, Vesicula scalpendo abrasa, vel vestimentis nimis arctis læsa, in ulcus abit.

6tò, Eruptiones in vaccinâ interdum observatæ fuêre, aliæ ex aliis morbis, ex variolâ verò præprimis †.

In duobus psoræ exemplis a Doctore PEARSON memoratis, virus a ruptâ pustulâ ad diversas corporis partes delatum grave malum induxit. Quædam insuper videntur esse eruptiones, quæ e peculiari vaccinæ irritatione profluunt. Essera enim vaccina, hujus morbi febri,

* "Broad Street Report," p. 26, et Dom. RING, p. 288, 854, 927, 1037.

† Vide "Broad Street Report," et Dr WOODVILLE's "Reports of Inoculation at the Small-pox Hospital."

febri, tempestate calidâ, nonnunquam supervenit, urticariam referens, molestissimè ægros vexans, in nonnullis vix tolerando pruritu *.

Maculæ quoque in partibus nudatis puerorum unà ludentium erumpunt, quorum manus scilicet vaccinæ viro inquinatæ sunt.

DIAGNOSIS.

Cùm vaccina tantas et tam præclaras immunitates pollicetur, ne medici minùs habiles se et cæteros vanâ spe deludant, signa quibus vaccina genuina insignitur accuratè statuere plurimùm interest.

Quò hoc certiùs fieret, medicus ad ordinem symptomatum regularem jam prolatam, animum

* Vide "Report of Cow-pock Inoculation, during the years 1800, 1801," &c.

mum primò sedulò advertere debet ; et si adfuerint omnia seriatim, quin morbus ritè processerit, dubium moveri nequit.

Quum autem inter abnormia, signa plura sæpè deesse retuli, de iis quæ morbum magis constanter notent dicendum est. Dignoscimus eum maximè e vesiculæ concavæ, crustæ, et cicatricis successione, quæ omnes intra dies viginti apparuisse solent.

Spuria vaccinæ pustula est, quæ de falsis in vaccâ derivatur.

Irregularis quoque insequitur pustula, in iis qui e vaccinâ vel variolâ prægressâ, aut insolitâ corporis constitutione, morbo nequaquam obnoxii sunt.

Inefficax dicatur tertia pustula, quæ ex insitione imperitè factâ, vel e mutatâ viri conditione proficiscitur.

Omnes

Hæ omnes modò memoratæ quàm genuina citiùs multò maturescunt, a pruritu magis molesto et inflammatione præmaturâ incipiunt, parte mediâ depressâ, duplice areolâ, et pyrexiâ carent, maturiùs ad finem intempestivum attingunt, et pus flavum effundunt.

Quando vesicula a veræ vaccinæ normâ aberravit, an æger a variolâ immunis evaserit, necne, statuere necesse erit. Si dubium in mentem incidat, septimum ante morbi diem, ad experimentum quo Dom. Bryce feliciter usus est, recurrere liceat. Alterâ enim insitione factâ, vel ab hâc ipsâ vel aliunde, si corpus indemne præstet, nova pustula gradum corripiet, et eodem ferè tempore ac parens seu præcursor ad metam perveniet. Ubi hoc fiet, et nova proles legitima vaccina erit, salvus est æger. Si præteriît occasio provocandi ad hanc testem, inoculatio viri simpliciter iteranda est. Sin rursùs hæc parùm feliciter procedat, et si ratio adsit cur ægrum vaccinâ vel variolâ anteà laborâsse crederemus, alia

hujusmodi

hujusmodi pericula supervacua forent. Postremò, si animus in maximis hæret dubiis, adhuc licet variolam inserere.

Observatum est ab auctoribus, quòd cùm immunitas a variolâ nonnunquam congenita sit, tum quoque rarò familias totas munimento cingit, et etiam hæreditaria facta ad gnatos descendit *. Londini, A. B. æt. 28, qui ineunte ætate contagio variolæ frustrà inoculatus est, nunc vaccinam experiri voluit; eum igitur viro hujus morbi tribus puncturis infeci, pungens dolor statim subsecutus est, et octo dierum spatio, pustula, haud secùs ac in vaccinâ falsâ evenit, curriculum absolvit. Frater hujus eodem modo bis inoculationem passus est, et cum eventu omninò simili: Dom. G. Bell ei, Edinæ, vaccinam inseruit. Neque pater neque avus horum variolam unquam contraxerant.

---

* Vide Historias, p. 94 et 87, "Report of Cow-pock Inoculation."

PROGNOSIS.

Vaccina periculo omninò caret, et si insitio peritè peracta fuerit, nullo ferè incommodo perducitur.

RATIO MEDENDI.

Hic morbus, præsertim inoculatione contractus, qui ferè solus sub medicorum aspectum venit, ita mitis est, ut vix ullâ medicinâ egeat. Medici autem est, cui æger demandatus fuerit, ad pustulæ progressum sedulò animadvertere; hoc enim cardine, nomen suum et vaccinæ conservatricis fama unà versantur.

Cavendum est ne aliquid vesiculæ vel crustæ noxam inferat; hoc consilio, æger monendus est ne vestimenta nimis arcta induat; in infantibus

infantibus nonnunquam convenit manus coërcere, et digitos obvolvere.

Si pustula nihilominùs rupta fuerit, vel fastigium ejus avulsum, et si aliquid effundatur, et timeamus ne in ulcus abeat, ad medicamenta refrigerantia et astringentia confugiendum est. Gutta una alterave acidi sulphurici diluti, vel acetitis plumbi, quibus pars concresceret, a quo, ne humor ex vesiculâ effluat, cavemus, usui commendata fuêre. Si pravo corporis habitu, vel incuriâ, ulcus fœdum suboritur, ea remedia adhibenda sunt, quibus ulceribus malignis occurrere solemus.

Interdum partis inflammationem temperare necesse est; ligaturis enim arctioribus, nimiâ brachiorum exercitatione, vel insolitâ vasorum plenitudine, loco areolæ exiguæ et circumscriptæ, inflammatio erythematica latè diffusa supervenit: ad vim hujus compescendam, remedia ad partem ipsam admota plerumque satisfacient, et quò simpliciora eò meliùs huic

huic inserviunt. Lavatio partis inflammatæ aquâ frigidâ, vel aquâ cum aceto commixtâ, et lintea vel hisce vel aquâ lythargyri compositâ madefacta, commodè usurpata fuêre. Solutiones et unguenta ex hydrargyro, ut mihi videtur, supervacua sunt. In adultis, alvum catharticis lenioribus ducere convenit.

Si glandulæ in axillis magnoperè tument et dolent, lintea, ut suprà madefacta, his assiduè imponenda sunt.

In vaccinâ fortuitò obortâ, summam manuum munditiem servare decet et oportet. In hâc specie, quoniam, sicut in variolâ, duplex est febris, una ab absorbtione facta, et altera recrudescit e numero et vitio pustularum, strictiùs servetur regimen antiphlogisticum.

Eruptiones sponte decedentes nullâ medicinâ egent; alvus leniter soluta forsan proderit.

DE

DE MODO QUO VIRUS PARATUR ET SERVATUR.

NUPERUS Dr CAPPE vesiculæ structuram primus accuratè detexit. Hæc vesicula non est simplex cellula, sed e pluribus minutis cellulis, invicem apertis oribus haud plenè accedentibus, extruitur, unâ enim punctâ non omnes semet simul deplent. "The matter "(ait Dr CAPPE) seems partly supplied by "secretion; for I have seen more matter ob-"tained in a quarter of an hour, than the "vesicle could be supposed to contain *." Virus igitur cautè, delicatè, et ne nimis festinanter parandum est. Observatum est medicis, materiam in provectiore morbi gradu desumptam spem sæpiùs frustrare, tunc temporis, forsan, magis purulentam; et cùm nonnulli eam etiam dotes nocivas nactam fuisse perhibent, opera danda est, ut ante undecimum

* Vide RING, p. 371. ut excerpsit e "York Herald."

mum diem, quo tempore crusta firmiùs concrescere inchoat, paretur. Ante quintam, vesicula vix copiam viri præbebit. Quoties statim eo utendum est, satis erit si in lanceolam nostram chalybèïam capiatur; sin autem per aliquot horas priùs retinendum sit, penna vel instrumentum eburneum, *vaccinator* dictum, in viro imbuenda est; aut, si dives es, lanceola e platinâ, quam quidem Dr PEARSON proposuit nullam rubiginem contracturam, meliùs tibi conveniet. Diutiùs adhuc conservandum, et trans terras longinquiores et maria portandum, inter duas vitri laminas conjunctas ligulis coriaceis, quas tenuissimas auri extusores suppeditant, includi solet; sic enim aëri aditus optimè claudatur. Quidam curiosi præter necessitudinem, tubos capillares, phialas aëre hydrogenio repletas, vel quarum obturamenta, accuratissimè aptata, penè ad fundum descendunt, usui commendârunt.

Tabum igne non exsiccandum est, et in loco sicco et frigidiusculo servari debet. Dom. BRYCE,

Bryce, qui crustam nil aliud quàm tabum concretum persuasum habet, hoc liquefactum, in morbo concitando, quàm virus recens haud minùs valere contendit. Si res ita se reverà habeat, ne alio quovis modo materia contagiosa meliùs servari aut transvehi posset quàm crustas induratas comparando. Audivi autem quosdam satis peritos huic infeliciter confisos fuisse. Alius quoque obtinet modus parandi et servandi virus, filo scilicet, quem ad inoculationem partis incisione ducentem, semper vituperare vellem.

TABI INOCULATIO.

Nullo certo corporis regimine, neque purgantium usu, viri insitioni præeundum est. Quum materiam limpidam magis quàm sicca valere compertum est, ubicunque fieri potest, virus ex altero desumptum in alterius adstantis brachium nullâ morâ illicò inseri debet.

Lanceolâ

Lanceolâ communi viro imbutâ, et aliquantulùm inclinatâ, in eam partem alterutrius brachii, quæ post musculum deltoïdem subitò cava devenit, semel bisve leniter pungendum est. Sin brachia, ut quorundam opificum, nimis jactata forent, tum petimus interiorem cruris partem subter genu. Si variola epidemicè grassatur, unicæ puncturæ haud fidendum est.

Plaga in cutem inflicta levissima esse debet, ut virus tantummodò in sacculum triangularem inter cuticulam et cutem intercipiatur. Quominùs pars cruentata, eò major securitas, sanguis enim exiliens tabum abluit.

Cùm in viri sicci soli viribus spes nostræ sitæ sunt, puncturâ lanceolâ priùs factâ, penna armata vel *vaccinator* inserendus est, et intra vulnus affricandus. Contagii materies e vitro desumpta, aquæ guttulâ humectanda est.

Cùm

Cùm non nostro arbitrio filum rigescat viro, partem invitè ac leviter incidimus, et insertum linum venenatum chartulâ madidâ obtegimus.

Insertio viri incisione sæpiùs infeliciter cedit, et in ulcus faciliùs abit.

A materiâ siccâ, iterata punctura æquè convenit, ac si variola de vicino limite minitetur; utcunque res urgeat, satis ad tutelam facient in singulis brachiis duæ puncturæ, tres in uno tantùm brachio.

Parùm autem timescendus est numerus, quum a primoribus vaccinæ non majora pati inventi sunt sexies stimulati, quàm qui ab unâ resiliêrunt puncturâ *.

Non opus est ut chirurgus perquam acuat lanceolas; sed sint semper nitidæ et clarè splendeant, quod sit ei honos. Et quicunque

vaccinæ

* "Report of the Broad Street Institution."

vaccinæ præest, ab incepto usque ad finem, morbi progressum, unde fluxit, et cætera memorabilia, in tabulas referat.

CONSECTARIA GENERALIA.

QUÆSTIONES singulares, insolita morbi exempla, et abnormia plura, adhuc mihi supersunt. Ex his omnibus, sive abstrusis sive ad practica magis spectantibus, constaret plenum et perfectum opus; sed neutiquam mihi in mente est ultra limites hujusmodi opusculorum hocce producere, neque novitates avidè sectari.

Mihi tantùm quâ scriberem seligenti et ancipita rigidè rejicienti, duo sequentia sese obtulerunt, quibus, quoniam leges vaccinæ generales ordinatè complectuntur, locus fortè non recusandus.

I. Quamvis vaccina et variola duo sunt diversi generis morbi, signorum vehementiâ et

viri

viri fonte longè distantes, una tamen est suscipiendi proclivitas quam excutiunt aut depascunt; an hæc a structurâ pendet, an viribus quibusdam chemicis, aut aliis, prorsùs ignoro; una tamen est, qualiscunque, et ambobus eadem semel saltem statuta præda.

II. Hæc proclivitas vel mutatione vel jacturâ semel deleta, nunquam rursùs redintegratur, aut sese renovat aut planè redit.—Si ulla paucissima exempla sunt, in quibus resurgere videatur, nil ferè hæc de lege generali derogant, sed potiùs ipsa abnormia, rariora quædam et contra spem evenientia, constanter explicant.

Ex his duobus, profluunt leges;—

1*mò*, Nemo variolæ vel vaccinæ bis obnoxius est.

2*dò*, Variola et vaccina, nullo temporis intervallo, sibi unquam mutuò superveniunt, modò diversa horum stadia absoluta fuerint.

3*tiò*,

3*tiò*, Nemo utrisque his morbis objicitur, nisi simul urgeant, et si hoc evenerit, unusquisque ad suam proclivitatis partem imminuendam conferre habendus est.

4*tò*, Cùm vaccina et variola coalescant, morbus gravior mitescit. Nam quoties variolam fortuitò contractam vaccinæ inoculatio vix exceperit, (quod tamen exactè perficiet si tempestiva et intra idem tempus insita, ac si variola ipsa inoculata fuerit), multò mitiùs incedit variola.

Cùm virus et variolæ et vaccinæ eodem ferè tempore inserta fuerint, sed hujus paulò seriùs, ut in quibusdam experimentis consultò factum est, variola orta est, sed viribus domitis, et parcior. In duobus præsertim modis morbus gravior mitescere solet; nempè, pustulæ vel erumpunt parciùs, vel citiùs cursum conficiunt. Cùm hoc obtinet, morbus *hybrida* dicitur, quod evenit cùm pustulæ ante maturationem evanescant, et corneæ moriantur.

In

In omnibus sub hoc capite per vaccinam vel variolam morbum, eum processum intellgi vellem, quo proclivitas suprà dicta tollitur. In vaccinâ de suæ pustulæ specie, in variolâ de propria eruptione et febre, hæc mutatio præsens esse dicitur.

Febres et a variolâ et a vaccinâ concitatas, unà adesse posse putârem.

Postremò mirandum, sed non incredibile mihi videtur, nos, duce JENNER, de crudelissimâ peste triumphum esse portaturos.

FINIS.